

LVNÆ DIE 19 M. APRILIS A. 2004

A.d. XIII Kal. Maias a. MMIV



I I 9

M E L I S S A



FOLIA PERENNI LATINITATI DICATA
AUSPICIS DOMUS ERASMIANAE CURAQUE FUNDATIONIS MELISSAE
SEXIES IN ANNO EDITA

EDITOR RESPONSALIS
Gaius Licoppe

COMPOSITRIX
Francisca Deraedt

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan, B - 1040 Bruxellis.
Tel. + 32 (0) 475.47.55.18 / g.licoppe@skynet.be / <http://users.skynet.be/Melissalatina>
Bureau de dépôt : 1040 Bruxelles 4 / Afgifte kantoor 1040 Brussel 4

QVID VELET VELVM

Multæ feminæ in Europa occidentali nostris temporibus per vias ambulant capite velato. Sunt etiam puellæ, quæ sive sua sponte sive parentum iussu scholam frequentare velint capite velato, autumantes religionem islamicam hoc a se poscere. Tantam disputacionem nunc suscitat hic vestiendi modus, tot diversæ sententiæ proferuntur, ut non inutile videatur huius litis causas perquirere. Capitis autem tegumentum, quod Arabice nuncupatur « hijab », Latine simpliciter vocabimus velum Islamicum. ¶ Nolimus credere quæstionem veli Islamicici recentem esse. Legitur e.g. in libro anno 1950 edito¹ multa iam ab anno 1930, præsertim in Tunesia, de feminarum capite velando scripta esse. Ibi tunc erant « modernistæ », quorum argumentatio, in periodico « Leïla » divulgata, his exprimebatur verbis : « Velum, dicit M. Zmerli, lædit stirpem nostram in vitalibus maxime vulnerabilibus. Iuvenes enim vulnerat, quos orbat nervo omnis humanæ actionis et cupiditate progressus, gloriæ amorisque. Omnes iuvenes in orbe terrarum circa vigesimum annum inveniunt candorem puritatemque amoris, præter mahometanos ; deest enim amor in hodierno orbe Islamicus, qui fixus, duratus, sterilis hæret in statu quo eum rediget nefarium velum... » In Tunesia mahometani feminas Europæas raro uxores ducunt, sed nulli mulieri mahometanæ nubere licet viro Europæo, i.e. « roumi » ut aiunt ; ea enim in perpetuum a societate mahometana excluderentur. ¶ In eodem libro, auctor iam ante semisæculum scribebat mundum tendere ad cultum uniformem, cuius fontes essent in orbe occidentalı ; huic cultui gentes mahometanas se subtrahere non posse, quidquid contra agerent earum potestates regentesque. Auctor merito prævidebat transitum fore longum et non sine conflictione. ¶ Nam si spectamus pelliculam cinematicam c.t. « Bent familia », quam anno 1997 confecit Nouri Bouzid Tunetanus, comperimus pauca mutata esse in statu feminæ mahometanæ, quamquam Tunesia magis quam ceteræ regiones Islamicæ auram occidentalem accepit. Mulieri enim, etiam in locupletioribus familiis, adhuc nulla conceditur libertas amandi, eligendi, agendi, in rebus publicis florendi ; ei semper imminet suspicioosa potentia generis marium, sint patres, mariti, filii, quin etiam vicini. ¶ In hac pellicula feminæ Tunetanæ hodiernæ velum Islamicum non gerunt earumque puellæ scholam adeunt etiam sine velo. Relicto tamen velo, manet feminarum submissio, quæ, in Corano nitens, valde hæret in moribus mahometanis atque maxime impedit ne orbis occidentalis cum Islamicu commisceatur. Hic est nodus totius quæstionis. ¶ In Francogallia multi mahometani ex Africa septentrionali oriundi vivunt in

suburbiis congregati, ubi suos servant mores. Sunt tamen iuvenes, qui occidentali vivendi modo attrahantur, sed ei se inserere sæpe non valent propter paupertatem ; eorum cupiditas tunc mutatur in odium atque redeunt in gremium congregationis mahometanæ. Quæ, regiminis incuria causa, seclusa vivit, unde oriuntur multa mala e quibus unum, quod spectat ad scholam, regentes recenter commovit. Velum Islamicum, quod nonnullæ puellæ etiam in schola gerere volunt ut signum suæ religionis, perterriti regentes, qui firmiter credunt solam scholam vere laicam populi homogeneitati favere posse. ¶ Regimen Francogallicum, antequam lege sanciret ut velum in schola vetaretur, consilium sapientium constituit, qui rem prudenter explorarent sententiamque suam scite darent. Hoc consilium, de « Stasi » appellatum, suasit ut velum in schola vetaretur. Audiamus nonnulla argumenta unius ex consilii participibus, Henrici Pena-Ruiz². Patet, ait, culturalium differentiarum nimium respectum, qui nunc fieri solet, ad conflictiones ducere. Decetne tolerare iuvenes feminas in suburbis mahometanis vexari maledictis quin etiam vim pati, quia velum Islamicum gerere abnuunt ? Licetne magistros recusari propter materiam docendam vel magistras propter sexum ? Islamici coryphæi, ubi potentiam non habent, dolose adhibent sermonem libertatis et tolerantiae, quæ florunt sub regiminibus democraticis, ut admittantur eorum coercentes mores ; ubi vero potentiam de facto habent, minis et vi utuntur. ¶ Quæ cum ita sint – concludit consilium « Stasi » –, vix fieri potest ut singulæ feminæ resistant auctoritati Islamicæ. Ceterum nonnullæ audacieores consociationem creaverunt, cui nomen dederunt « Neque scorta, neque domitæ », quod scopum per se demonstrat. ¶ Domina Iraniana, Chirine Ebadi nomine, quæ præmium Nobelianum accepit quia in patria sua necessitatibus velum gerendi repugnaverat, dicit inter alia hæc : « Ut fundamentalismo Islamicus repugnemus, solum valent educatio atque doctrina. » Et re vera doctrinæ educationique scholæ laicæ confidunt regentes Francogalli ut puellæ a iugo Islamicu liberentur, at multæ earum iam a pueritia ita formatæ sunt educatione mahometana, ut doctrina inflatæ educationem in scholis præbitam accipere nolint. Non paucæ sic litigant pro noxiis suæ submissionis. ¶ Bonum exemplum præbet recens liber³, cuius titulus in Latinum versus est « Puellæ ceteris similes ». Hunc librum conscripserunt tres puellæ, Levy, Alma et Lila, sedecim et duodevinti annos natæ, quæ e lycæo suburbii Parisini *Ambergilliers* exclusæ sunt, quia velum intus exuere solebant. Ex hoc casu orta est in Francogallia controversia de velo Islamicu. De libro

autem nonnulla decerpo. ¶ Quomodo mundum mente concipient hæc puellæ, se accurate explicaturas esse nuntiant. De velo gerendo dicunt hoc esse iussum religionis. Cum velum exuo, ait una, me sentio omnino nudam ; solum detegere licet faciem et manus.

Scientiam non curamus, cum credamus Deum perfectam scientiam habere. Nobis displicet puellam una cum puerò videre ; est res impudica. Ante matrimonium dedecet virum solum cum femina esse atque eam tangere. Ego, ait una, cinematœum adire nolo propter obscuritatem, quæ peccato favet. Viris quoque non licet etiam in exercitationibus athleticis magnam corporis partem denudare. Et alia, cum accidit ut nosocomium adire debeam, ait, frater meus me comitatur, quia mihi non licet soli cum viro esse, etiam si medicus est. De polygamia et lapidatione iudicare nobis non licet ; non enim possumus ea infitias ire de quibus Deus sanxit. ¶ Bruxellis in Parlamento Europæo recens habitum est colloquium cuius thema erat hoc : « Mahumetanæ et feministriæ ». Quod colloquium participabat vir mahumetanus, Tariq Ramadan nomine, qui Genavæ docet. Iste vir ab aliis habetur ut metuendus islamista, ab aliis ut mahumetanus reformator. Notandum est eius avum, Hassan el-Banna, olim in Ægypto condidisse sectam fundamentalistam Fratrum Muslimorum. Tariq dicit se avum non abdicare, circumstantiam vero hodie iam non esse eandem. A diurnariis interrogatus, dixit se imprimis exquirere velle quibus impulsibus motæ feminæ in Occidente iura sibi expostulavissent.

Necesse est, ait, fontes mahumetanos scrutari, quibus niti solent integristæ ad inacceptibilia discrimina servanda, atque querere num hi textus modo minus angusto possint interpretari ad seminarum iura provehenda. ¶ Hæc est summa difficultas, quam vix superare valent ei qui Mahumeto credunt. Cuius difficultatis bonum exemplum præbitum est recenti disputatione televisifica inter Tariq Ramadan et Nicolaum Sarkozy, tunc Francogallicum administrum internorum negotiorum. Ibi Tariq, inter alia interrogatus de seminarum lapidatione, eam non condemnavit, sed solum suasit ut omnes poenæ corporales et capitales sine die differrentur. Suam sententiam hoc modo explicat : « Has poenas iniungere mandant textus Corani et traditio propheti ; sive eos negamus, ut Occidentalibus placeamus, sed orbis mahumetanus non sequetur, sive consideramus has poenas hodie nemini esse iniungendas ; tunc solum eas differre possumus dum doctrinæ docti aptatam texuum interpretationem proponunt. » ¶ Quanta fossa traditio christiana a mahumetana dividatur, appareat v.g. in euangelio secundum Iohannem, ubi agitur de lapidatione, poena apud Semitas usitata : mulier in adulterio

deprehensa ad Iesum adducitur a Scribis et Pharisæis, qui dicunt hæc : « In lege autem Moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis ? ». Et Iesus respondet : « Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. » (Ioan. 8,3-7). ¶

Gaius LICOPPE

1. A. Pellegrin, *L'Islam dans le monde*, Parisiis, Payot, 1950.

2. Henricus Pena-Ruiz, philosophus in Instituto Parisino Studiorum politico-rum docens, auctor est libri c.t. *Qu'est-ce que la Laïcité ?* (Parisiis, Gallimard, 2003).

3. *Des filles comme les autres*, ed. La découverte.

QVID SENSERIT PRÆPOSITVS REBUS ARABICIS ET ISLAMICIS GERENDIS

– *scripsit Antonius Boudot-Lamotte* –

Quid viderit fecerit senseritque præpositus rebus Islamicis gerendis (*Officier des Affaires Militaires Musulmanes*) breviter exponam addamque narratiunculas a vita ductas. De bello autem illo tempore in Algeria sœviente nihil dicam. Graviora enim passus sum, ut mihi peracerbum videretur tot strages evocare in quibus nonnulli ex commilitonibus meis carissimis necati sunt.

Cur mihi in mentem venerit ut linguam Arabicam discerem, paucis verbis dicam. Commilitones patris mei semel ac sæpius, me puer, nos invisebant, qui in Africa vel in Libano meriti erant. Inde fiebat ut sæpissime sermo esset de vita eorum in regionibus illis remotissimis. A teneris unguiculis appetens facinorum eram et studiis secundariis peractis petii scholam linguis orientalibus ediscendis Lutetiae Parisiorum sitam. Sed nolo amplius de me disserere. Potius de lingua Arabica loquamur.

Lingua Arabica ad illas reducitur linguas quæ semi-ticæ vocantur. Pleraque hæ linguæ et dialecti iamdiu obsoletæ sunt et nonnisi paucæ adhuc diebus nostris vigent. Dominantur hodie lingua Arabica et lingua Hebraica rediviva. Alphabetum Arabicum, sicut Hebraicum, solis consonantibus constat. Cum autem textum al Corani conservare et protegere vellent, scribæ signa vocalium excogitarunt quæ textui apposuerunt et quæ usque ad dies nostros manserunt.

Textus autem in vita cottidiana signis vocalium carent si al Corani textum exceperis. Unde fit ut tironibus difficillimum sit legere et intellegere.

Adde multitudinem linguarum vernacularum Arabicarum toto islamicō orbe sparsarum. Dialecti sunt, ut ita dicam, inter se adeo differentes ut, exempli gratia, Icositanus sermonem incolæ urbis Bagdadi non possit intellegere.

Sed, ain tu, res adeo difficilis non est. In promptu habemus linguam politam diebus nostris ubique in usu. Etenim hac lingua utuntur televisio, radiophonia, acta diurna, rerum publicarum rectores eorumque procuraciones.

Noli tamen oblivisci quæ sequuntur : quod ad grammaticam pertinet, lingua Arabică ista polita dicta probataque non multum differt a Latina, nam in utraque sunt declinationes nominum et coniugationes verborum quibus dialecti omnino carent.

Omnis Arabs qui a pueritia ad scholam non missus est ut ibi studia secundaria et postea altiora persequeatur, nequit linguam istam intellegere.

Vellem nunc de lingua altera loqui : lingua pristina Numidiana quæ in Africa, Numidia et Mauretania florebat antequam Arabes in regiones illas irruerent.


Lingua hæc quæ hodie « berbère » vocatur similis est linguæ qua Sanctus Augustinus utebatur cum patribus et familiaribus. Adhuc in quibusdam regionibus viget, præcipue in montibus et in Numidiæ solitudinibus. Sed nimis temporis sumeret de linguis orientalibus accuratius perscribere...

Præposito rebus Islamicis gerendis multa erant agenda. De eius officiis in deserto Sahara nonnulla exempla proferre velim : proceres qui tribubus prærant Francogallice non loquebantur. Exinde commercium epistularum Arabice tantum fiebat, quod ad id pertinebat officium. Scripta erant legenda (sæpe dixerim explicanda) et in linguam nostram vertenda, quod interdum satis difficile fiebat. Etenim proceres nonnulli litteris carentes lingua utebantur haud emendata.

Nonnullis diebus oportebat dolentium querelas Arabice « chickaya » dictas magna cum patientia si quis queri volebat audire. De aqua sæpenumero agebatur. Agricolis opus erat sole, aquarum copia et umbra palmarum, et, ut facile conici potest, aqua deficiente spes nulla manebat holera percipiendi.

Sub palmis patebant horti ad quos adducebatur aqua multis aquarum inductionibus. Sæpe fiebat ut holitor quidam aquæ portionem alicui abstulisset. Qui querebatur dicens : « Mihi furcifer iste portionem aquæ abstulit ! » Adversarius plerumque abnuebat et ius dicendum erat. Querelæ similes erant multæ.

Mihi necopinanti inexpertum officium evenit. Quæ sequuntur vobis fortasse risum movebunt : die quodam, centurio qui castello præerat me arcessivit dixitque mihi : « Mi puerule (etenim ætate iam provectiona erat, me diligebat et me sicut puerum suum alloquebatur), mi puerule, est apud nos genus quoddam loci



*Ubi nunc patent viæ asphaldo illitæ
serpebant olim impeditissima itinera.*



*Asellus diplomata
ferens in barena
tarde progreditur.*

male audientis, sedes dixerim feminarum, ut plane loquar, meretricum – tenesne ? Medicus noster earum sanitatis causa illuc ter vel quater in anno ire solet, qui autem, quod dolendum est, linguam Arabicam ignorare videtur. Itaque iubeo te eum comitari ut ei sis auxilio. » Ego statim ad centurionem meum versus, perinde ac cadaver : « Esto prout me iussisti, mi Centurio ! » et iussa efficere debui.

Ab omnibus bene audiebam, ut Scripturæ sacræ verbis utar « ab auditione mala non timebam ». Proinde mentibus fingite quam obstupuerint commitentes mei cum animadverterent me hunc in locum fuisse deductum ! Diutissime risu corruerunt omnes...

Fabella ista peracta secutum est quod sequitur : paulo post enim accidit ut pictor celeberrimus vellet oppidulum nostrum petere ad imagines solitudinis Saharæ efficiendas. Qui non solum voluit prospectus, sed etiam simulacra pingere meretricum ut olim Delacroix pictoresque celeberrimi sæculorum præteriorum. Cui dixit centurio : « Facile invenies, pete subcenturionem nostrum et erit tibi auxilio ! » Et meretricum domum iterum pictore comitante...

Sed paulo maiora canamus ! Rustica plebs quæ solitudines incolebat carebat nominibus sicut et nos tempore Medii Ævi. Vocabantur exempli gratia Ahmed ben Mohammed, Umar ben Sliman, Aisa ben Abd ar Rahman sicut apud nos Paulus filius Petri, Iohannes filius Pauli. Populum in tribubus convocare debuimus ut unicuique familiæ nomen daretur. Tribus autem adeo discretæ colebant in remotissimis locis ut aditus ad eas difficillimus esset. Ubi nunc patent viæ asphal-

to illitæ serpebant olim impeditissima itinera ; commatus fere par nulli erat et semper cavendum erat ne in harena vel lapidibus autocinetum hæreret. Itaque asellus mihi datus est facilis atque venustus, quocum aditus facilior factus est.

Me comitabantur scriba iuvenis, callidus atque satis alacer et senex amabilis qui metas dati pervenerat ad ævi, annos natus fortasse maior nonaginta, homo usu peritus. Nisi me fallit ineunte adulescentia de patre Carolo de Foucauld audiverat.

Noctes erant nobis in tuguriis degendæ ubi nulla erant commoda, sed mansio silentio et amoenitate incolarum adeo incantabatur ut mihi occurreret : « Hæc olim fortasse meminisse iuvabit ! » O fortunatos nimium sua si bona norint incolas desertorum quos in pristinum statum nunc redigere nemo poterit umquam. Vere dixerunt maiores : ferreus est (quin immo ferreus fit) quisquis in urbe manet. Ubi magalia quondam fortasse deversoria structa sunt ad peregrinatores otiosos accipiendos. Dixerit quispiam : « Quis impedit quin illuc revertaris ? » Mallem ego in montibus esse lapis !

Sed ut illuc revertar unde digressi sumus, patres familias ad nos convocati erant pauperes, tenui victu familiam sustentantes, sed scientes, ut aiunt, « tam bene hominem culmo quam auro tegi ». Me hodie meminisse iuvat patris cuiusdam. Sinite me eum breviter depingere : ætate iam provecta, canitie pulchra, statura procera, hilari vultu, « djellaba » indutus ad imos pedes defluente, tamquam rex procedens magna cum maiestate de thalamo suo. Militari decore insignis utpote qui bello depugnavisset. Crederes te vere principem Veteris Testamenti alloqui...

Civibus congregatis patres familias rogabantur quot membra essent in familia, qui plerumque nolebant filias enumerare adeo ut iterum iterumque quærendum esset : « Quot estis, cum filiis et filiabus ? » Sequebatur quæstio hæc : « Quomodo vis vocari ? An Nazzar (i.e. lignarius), an Habbaz (i.e. pistor), an Zaza’iri (i.e. Icositanus) ? Sed tibi cavendum est : noli oblivisci hoc nomen novum non solum tibi, sed filiis et filiabus tuis et filiis filiorum eorum datum iri de generatione in generationem. »

Illis autem hoc videbatur nullius momenti esse et plerumque respondebant : « De nominibus istis susque deque ! Flocci non facio ! Satis habeo vocari Ahmed ben Mohammed sicut pater meus vocabatur Mohammed ben Ali. Prout tibi commodum erit ! » At ego tergiversationibus fessus : « Esto ! Avus tuus in regione Touat natus est, igitur Touati vocaberis ! »

Quo facto oportebat stemmata familiarum consignare et tabulis mandare. Ad hoc efficiendum in promptu

semper habebam lexicon hominum Arabice exaratum et litterarum ordine dispositum in quo nomina cruce indicata erant ne bis darentur.

Fabellam quandam hic addere velim : quotiescumque hora precum islamicarum aderat, me derelinquebant adiutores mei sicut lapidem in deserto ut simul orarent Deum unicum eiusque prophetam Muhammad voce magna clamantes « In nomine Dei ! Deus noster misericors et miserator Dominus est ! », quod, fateor, permoleste mihi ferendum erat. Sed quid facerem ? An liceret in recessu ex oculis eorum paucis minutis elabi ut flexis genibus Deum nostrum orarem et Christi crucem in fronte signarem ? Orantibus illis omnis auctoritas mihi ablata esse videbatur.

Nunc ad reliqua progrediar. Die quodam advenit dux stellis duabus de classe æria, magna comitante caterva. Proceribus advenientibus mos erat ad festivitates convocare. Festivitas semper eadem erat, incolis partes agentibus : nocte intempsa, crebris ignibus factis, circulabantur et manibus plaudentes, pede libero tellurem pulsantes, Deum voce magna laudantes (quod « ahellil » dicebatur sicut Hebraice « halleluja »), ad cælum clamorem ingentem tollentes, ululant voce clamantes « Non est Deus nisi Deus unicus et Muhammad propheta eius est ! »

Saltatione ad finem vergente, dux animadvertisit hominem ante unumquemque stantem et me rogavit : « Tu qui omnia de moribus eorum scire videris, dic mihi, quæso, quid sibi velit. Sine ullo dubio agitur de ritu quodam pristino nobis incognito. » Cui ego : « Minime, mi dux, quem vidisti tantum subscriptis nomina incolarum qui festo adfuerunt ut postea aliquid nummuli accipiant ! »

Die quodam credebat aliquis se documentum inventisse Arabice exaratum e duce quodam « fellagarum » ortum. Fingite quam obstupuerim cum animadvertissem nihil inesse nisi ordinationem hortorum. Amico nostro dixi : « Undenam hæc omnia excogitavisti ? Nihil inest nisi ordinatio hortorum. Te certiorem facere possum hæc nullius momenti esse. » At ille rursus : « Nil ad rem ! Tibi vertendum est illoco ! » Cui ego : « Esto ! Esto ! » Scripta erant quæ sequuntur : « Vetatur birota vehi – Vetatur cæspites calcare – Vetatur flores legere – Vetatur in terram inspuere – Vetatur animalia vexare – Quicunque non paruerit poenas dabit. »

Hoc risum vestrum movet, sed collocutori meo erat ignoscendum, nam in angusto versabamur, res nostræ bello sæviente erant extimescendæ et semper erat cavendum ne quid necopinati accideret.

En vobis nunc alia fabella : die quodam dux quidam – quis ille fuerit e memoria excidit – me rogavit ut

verterem scriptum nesciebam unde allatum. Omnia scripta erant lingua Persica, lingua mihi prorsus ignota. Ut omnibus est notum, multum differt lingua Persica ab Arabica cuius alphabeto tantum utitur. Unde fit ut tirones distinguere non possint Persicam ab Arabica. Difficillimum fuit mihi collocutori meo persuadere me textum vertere non posse.

Ut nunc paucis complectar, numquam, arbitror, me pœnitebit linguam Arabicam didicisse, vertisse atque docuisse. Nunc autem quodam modo hæc omnia obsoleverunt. Apud Arabes et incolas desertorum vixi facinora multa quæ mihi summæ voluptati fuere, sed stirpis Romanæ non sum oblitus meæ.


Hodie exaudire mihi videor patrem meum in limine domus nostræ stantem et dulce ridendo dicentem : « Quam delector aspectu tuo ! Ubinam tu tam diu latuisti ? » At ego videor ei respondere non sine animi motu : « Ecce adsum, pater carissime. Non iam te relinquam. Suscipe me secundum eloquium tuum et vivam. » ■■■




Noctes erant nobis in tuguriis degendæ ubi nulla erant commoda.

CAMBOSIA (VI)

- narrata ab Alexandro Vanautgaerden -





¶ Chordacista languide incedens musicam canit tristissimam, dum iuvenis Cambosianus tympaniolo signat rhythmum. Cæcum musicum puer, non amplius sex, ut videtur, annorum, fune trahit. Sic maesta trias de crepidine in crepidinem ambulat.





¶ Iam unam fere septimanam in urbe Phnom Penh degi ac quietem appeto. Intro in thermopolium cuiusdam magni deversorii, in quo nigrita clavicina voce dulcissima languorem melopeiae foris auditæ continuat, sed lento modo Americano. Hæc mulier præ se fert ingentes mammas, satis incongruas in regione ubi feminæ a septimo decimo sæculo - ut patet e sculptis operibus - delicatas habent et piriformes.

¶ Nonnulla lego Cambosiana acta diurna, alia Francogallice, alia Anglice conscripta, nam Khmeriana mihi sunt interdicta : ego hanc linguam video, ea me non videt... Hæc quotienscumque lego, continuo miror. Singula enim plena sunt cædibus turpissimis, quæ discrepant cum dulcedine in viis percepta. Si confers ea, quæ in actis diurnis legis, cum eis, quibus afficeris consuetudine incolarum urbis Phnom Penh, res videtur esse schizophreника. Attamen omnis homo in Cambosia versans nobis miras narrat scænas, suspendia, subitas iniurias cito finitas, iugum virorum feminas multas opprimens, atque hæ relationes ita cottidie leguntur, ut moveatur nausea.



¶ Mira regio. Quamvis bellum sit perfectum, populus videtur triginta bellicosis annis esse vehementer affectus atque sanguineo modo nonnumquam illas exprimit memorias tragicas. Khmeri Rubri non sunt in ius educti et unus ex eorum prioribus officiariis, nomine Hun Sen, a Vietnamiensibus in primo loco collocatus, ab anno 1978 nationem gubernat. Dulce est totum iter nostrum, sine ulla calamitate agitur, at numquam obliviscor omnia quandocumque posse labefieri. Paulo post redditum nostrum, Cambosiani, circumlata nescio qua fama, legationem Thailandensem eversuri sunt et bona abrepturi, quæ Thailandenses in hac regione habent multa. Etsi clima, loca, incolæ delectant, Cambosiæ tamen adhuc necessaria est longa convalescentia.

¶ Hæc mæste cogitans obdormisco. Postero die, dum ientaculum sumo, elephantum iterum video solum ambulantem ad lacum Tonlé Sap, oscillante gradu ; sequitur eius rector, qui flumen aspectat. Tempus est proficisciendi. Ad septentriones non ascendo, sed meridiem peto primumque templum Khmerianum invenio : Tonlé bati. Dein Angkoram Borei, ad Khmerorum stationem maritimam. Viæ viis succedunt, cunctæ similiter imperviæ, interdum ducentes ad urbes iucundas, ut Kompong Thom. Angkoram appropinquans diu maneo in loco Sambor Prei Kuk vocato, inter magnifica templa Angkorianis antiquiora, media in profunda silva, in qua adhuc conspiciuntur multæ fossæ, vestigia bombarum Americanarum horribilisque belli Vietnamiensis. Pridie, quam Angkoram proficiscor, pompam nuptiarum typice Khmerianarum conspicio. Lente sequor agmen mulierum sumptuose vestitum.



¶ Progredior.
Cras Angkoræ ero.
Progrediarne etiam
in meo somnio ? ☺

FLOSCVLI ERASMI (III)

« Aldus studiosis s. »

- *quos proponit Alexander Vanautgaerden -*

Melissæ lectoribus nonnullos hic offerimus flosculos cartos e frontibus variarum editionum ad Adagia pertinentium ; quæ proverbiorum collectanea sexto decimo sæculo maxime vendita ornare solebant mensas doctorum scriptorias. Epistulæ, quas hic propo-nam, scriptæ sunt sive a typographo, sive ab aliquo typographicæ officinæ ministro – directore editionis, correctore –, sive ab ipso auctore. Editiones præcipue considerabimus ab Erasio annis 1500-1536 emendatas, deverticulum etiam Strateburgi quærentes apud Matthiam Schürer, cuius una alterave pagina affert attractiva indicia. Commodo lectoris orthographiam aptavimus hodiernis consuetudinibus.

Prima Adagiorum editio, quæ adhuc nihil est nisi modestus proverbiorum libellus forma « in-quarto » impressus, publicatur apud typographum origine Germanum, Iohannem Philippi, qui anno 1500 operatur Lutetiae Parisiorum. Huius operis duæ exstant emis-siones, altera nomine ipsius Iohannis Philippi facta, altera nomine bibliopolæ Iohannis Parvi.

Desiderii Erasmi Roterodami veterum maximeque insignium paræmiarum id est adagiorum collectanea : opus cum novum tum ad omne vel scripture vel sermonis genus venustandum insignendumque mirum in modum conducibile. Id quod ita demum intelligitis adolescentes optimi, si buiusmodi deliciis et litteras vestras et oratio-nem cottidianam assuescetis aspergere. Sapite ergo et hunc tam rarum thesaurum tantillo nummulo venalem vobis redimite, multo præstantiora propediem accepturi, si hæc boni consulueritis. Valete. [Signum] *Duobus in locis libellus hic prostat : in magistri Iohannis Philippi officina, cuius quidem tum industria tum sumptu nitidis-simis formulis est emaculatissime impressus. In via divi Marcelli ad divinæ trinitatis signum. Rursum in via divi Iacobi ad Pellicani quem vocant notam.*

Iohannes Philippi, ut tunc temporis erat mos, opus destinabat iuventuti studiosæ atque modicum pretium prædicabat. Hoc primo libello 818 adagia continebantur. In ultima autem editione, anno 1536 facta, erunt 4151. Anno autem 1506, typographus Iodocus Badius Ascensius offert incrementum viginti adagiorum, non-nullas versiones Græcas Latinis proverbiis additas, nonnullas versiones Latinas Græcorum textuum in commentariis prolatorum atque, imprimis, indicem ab ipso Badio litterarum ordine explicatum.

D. Erasmi Roterodami Veterum maxime insignium Paræmiarum, id est adagiorum collectanea rursus ab eodem recognita atque aucta, et ab Ascensio eorundem

indicio ac repertorio ad finem ponendo inventu quam facillima redditæ & diligentissime impressa. [Signum] Prostant in ædibus Ascensianis pro foribus collegii Italici & in ædibus Iohannis Parvi sub leone argenteo in via regia ad diuum Iacobum, apud Parrhisios.

Anno demum 1508, mense Augusto, Venetiis in officina Aldi Manucii, illa Collectanea fiunt Chiliades. Titulus est brevis : *Erasmi Roterodami Adagiorum chiliades tres, ac centuriæ fere totidem.* Sequitur autem pulchra Aldi epistula.

Aldus studiosis. s.

Quia nihil aliud cupio, quam prodesse vobis Studiosi, cum venisset in manus meas Erasmi Roterodami, homini undecumque doctissimi hoc adagiorum opus eruditum, varium, plenum bonæ frugis, & quod possit vel cum ipsa antiquitate certare, intermissis antiquis auctoribus quos paraveram excudendos, illud curavimus imprimendum, rati profuturum vobis & multitudine ipsa adagiorum, quæ ex plurimis auctoribus tam Latinis, quam Græcis studiose collegit summis certe laboribus summis vigiliis, & multis locis apud utriusque linguae auctores obiter vel correctis acute, vel expositis erudite. Docet præterea quot modis ex hisce adagiis capere utilitatem liceat, puta quemadmodum ad varios usus accommodari possint. Adde, quod circiter decem milia versuum ex Homero, Euripide, & ceteris Græcis eodem metro in hoc opere fideliter, & docte tralata habentur, præter plurima ex Platone, Demosthene, & id genus aliis. An autem verus sim, ἵδος ῥόδος, ἵδον καὶ τὸ πῆδημα. Nam, quod dicitur, αὐτὸς αὐτὸν αὐλέι. Præponitur hisce adagiis duplex index, alter secundum litteras alphabeti nostri, nam quæ Græca sunt, Latina quoque habentur, alter per capita rerum.

Præter duplarem indicem et secundum litteras et iuxta locos factum, hæc editio pretium etiam capit e Latina versione sescentorum versuum Græcorum, qua Græcae litteræ multis lectoribus tandem fiebant intelle-gibiles.

Mense Augusto anni 1513 Basileæ divulgatur editio Venetianam imitanus ; tunc primum a typographo Iohanne Froben divulgantur Adagia. Titulus est per-brevis : *Erasmi Roterodami Germaniae decoris Adagiorum chiliades tres, ac centuriæ fere totidem.* Longa epistula ad lectorem in aversa parte scripta Iohannes Froben declarat Germanos doctos superbire, quod officinam Venetianam bonitate superaverint. Eodem textu rumor affertur Erasmus esse vita func-tum, veri similiter quo... melius vendatur liber.

Ioannes Frobenius Studiosis S. P. D.

Apud Græcos Tarrhæus, Didymus, Clearbus et plerique alii viri ingenio et doctrina nobilissimi sollerti cum studio tum industria ex eloquentissimis et primæ classis auctoribus paræmias sparsim et undequaque diffuentes in iusta volumina redegerunt. Quorum virorum lucubrationes (nescio quo fato) magna litterariæ rei iactura funditus interciderunt. Supersunt tamen recentiores, quorum e numero sunt Zenobius, Diogenianus, Apostolus Byzantius, sed concisi adeo ac verius mutili, ut iuxta Græcam paræmiam ἀκέφαλον μύθον narrare videantur. Ceterum apud Latinos (quod equidem sciām) tot sœculis nullus repertus est, qui paræmias collegerit. Neque enim modico labore id fieri potuit, quando omne scriptorum genus utriusque linguae evolvendum erat. At nostra ætate Erasmus Roterodamus, cui dedit ore rotundo Musa loqui, primus nec infeliciter tantam provinciam capessere ausus paræmias, quæ apud utriusque linguae dialecticos, sophistas, oratores, poetas, theologos, babentur, bone deus quantis laboribus, quantis vigiliis in unum volumen consarcinavit, quo nullum omnium eruditiorum calculo abbinc mille annos luculentius in lucem prodiisse constat, quod rite quis omnis elegantiae seminarium appellaverit, illud Homeri (imperatorio elogio omnis virtutis parentis) de oceano ei accommodans, dum canit ἐξ οὐ περ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι καὶ φρείata μακρὰ νάουσιν. In eo enim loca sexenta apud utriusque linguae scriptores vel obiter correxit vel erudite exposuit. Præterea Homeri tum aliorum poetarum græcorum eodem metro versus circiter decem mille Latinissime vertit. Porro dum tanto operi colophonem (ut aiunt) imponeremus, increbuit rumor acerbior, quam ut credere libeat, sed constantior quam ut vanus credi possit, Erasmus nostrum e vivis excessisse. Prob dolor ! quanta bonarum litterarum iactura tantus vir terris ereptus est, qui unus non modo Germaniam suam sed totam Europam illustrare potuisse ! Quot nobiles auctores posthac cum blattis et tineis pugnaturi sua opera in lucem prodiissent ! Sed ita natura comparatum est (iuxta poetam) ut paucissimi egregio prædicti ingenio senectæ limen contingant, contra homines prorsus inutiles Thitoniam nonnunquam vivant ætatem. Illud neutiquam silendum nobis videtur, qui id operis in gratiam studiosorum excludimus, quin testemur (etsi id re ipsa patescat) summa nos diligentia in hoc opere usos, ut ne transversum quidem unguem (quod aiunt) ab exemplari discederemus, nisi illustrum auctorum Græcis exemplaribus ad hoc induci, in quibus sinceriorem lectionem nonnumquam comperimus. Hæc ratio, quare nonnulla immutauerimus. Quod si transversiones inversionesve litterarum et cetera id genus levicula menda nonnumquam

occurerint, ut benevoli lectores conniveant precamur, quandoquidem (ut est apud Græcos) ἀλλ' οὐ γάρ πως ἔστιν ἀύπνους ἔμμενα αἰὲν ἀνθρώπους. Valete Basileæ A.d. xix Kalend. Septemb. Anno M.D.XIII. ☩



DE MIRO PER AERA VEHENDI MODO (v)

- *scripsit Gaius Licoppe* -

In Germania, post bellum, societas Zeppeliniana opere carebat ; victores enim pacto vetuerant ne Germani magnas aerinaves exstruerent ; sola tolerata exceptio fuit zeppelinium, quod Americani anno 1922 sibi mandaverunt. Duobus annis post, Hugo Eckener, comitis Zeppelin antea cooperator, nunc successor, ipse zeppelinium perfectum in Americam duxit, quod ibi ZR-3 « Los Angeles » vocatum est.



Hoc modo a plurimis mulieribus fabricantur cellæ gassi capaces.

Anno 1925 pacto Locarnensi Germanis iterum data est licentia magnarum aerinavium exstrendarum. Eckener sine mora pecuniam collegit atque aerostatum regibile maius quam omnia præcedentia exstruere coepit. Sic factum est ut die 8 m. Iulii anno 1928 Fredericoporu comitissa Hella von Brandenstein-Zeppelin, zeppeliniorum patris filia, novam aerinavem LZ-127 vino Campanico baptizaret eique nomen daret « Graf Zeppelin » (i.e. Comes Zeppelin).

Aerinavis « Graf Zeppelin », 232 metra longa atque 30 metra lata, capax erat 105 milium metrorum cuborum. Eius magna lautissimaque navicella viginti vectibus, scilicet locupletissimis, apta erat ; decem diætas binorum lectorum cum privatis commoditatibus continebat et mansionem, ubi exquisiti cibi etiam præbebantur. Ad has commoditates demonstrandas Hugo Eckener statim longam navigationem suscepit cum viginti viatoribus et quadraginta technicis ministrisque. E Germania per Helvetiam, Francogalliam, Calpem (v. Gibraltar), Materia (v. Madeira) petivit Americæ

Septentrionalis Fœderatas Civitates, ubi supervolavit Vasintoniam, Baltimoram et Neoeboracum, spectanti bus Americanorum compluribus milionibus. Commoda re vera erat navigatio in hoc zeppelinio ; interdum tamen accidit ut aerinavis, mala tempestate subito concussa, arrigeretur ; tunc viatores territi quid poterant manibus, ne caderent, corripiebant atque vasa, cibi potulentaque de mensis deiiciebantur.

Hugo Eckener, Neoeboraci triumphaliter receptus, maius etiam facinus meditabatur : orbis terrarum circumnavigationem. Ad quod faciendum multa pecunia egebat, cuius maximam partem præbuit Villelmus Randulfus Hearst, Americani preli magnatus, hac una condicione ut circumnavigatione in America incoharetur et finiretur.

Die 7 m. Augusti anno 1929, in statione aerostatis apta haud longe a Neoeboraco sita, diurnarii et viatores aerinavem « Graf Zeppelin » concenderunt atque circumnavigationem incohaverunt. Oceanum Atlanticum transierunt et brevem stationem fecerunt in aerinavis statione natali, Frederici Portu. Inde Berolinum supervolaverunt et postea ingentem Unionem Sovieticam. In aerinave viatores luxuriose vivebant dum per specularia terras admirantur quas nemo de cælo adspicere potuit. Ad extremam Sibiriam feliciter advectus, Hugo Eckener Iaponiam petivit, ubi centena milia hominum aeronautas et viatores triumphaliter receperunt. Aerinavis a Germania 11.250 chilometra sine statione emensa erat intra circiter 102 horas, velocitate 110 chilometrorum horalium.

Quattuor diebus post incohatus est oceani Pacifici transitus, qui tunc nomen suum bene meruit ; navigatio enim usque Angelopolin (v. Los Angeles) fuit tran-



Hoc nonnullis occasionibus in itinere accidit...



... Plerumque tamen licet supellecitis elegantia frui et spectaculum terrae marisive per speculare admirari.

quilla... et monotona. Post festivam stationem, Hugo Eckener eiusque vectores Americanam transvolaverunt. Feliciter perfecta erat aeria orbis circumnavigatio ; Hugo Eckener per Neoeboracensem Viam Latam (v. Broadway) triumphaliter iterum vectus est atque a præside Hoover in Domum Albam receptus.

Hoc tamen ei non suffecit. Anno enim 1931 expeditionem exploratoriæ ad regiones arcticas suscepit, investigante Fridtjof Nansen. Qui vir, Norvegicus notissimusque borealium tractuum explorator, putabat zeppelinium « Graf Zeppelin » illis regionibus explorandis aptissimum esse. Grex internationalis scientificorum in aerinave regebatur a Rudolpho Samoilovitch, Russo. Expeditio incohata est Leninopoli. Tria erant proposita : variationes magnetismi terrestris notare, observationes meteorologicas in summa altitudine facere ope follium in stratosphæram missorum et terras incognitas photographare. Hæc omnia sine ullo detimento intra mensem Iulium perfecta sunt.

Post tantas res bene gestas, Hugo Eckener commerciales volatus inter Europam et Americam Meridionalem tandem instituere potuit, quas statim post arcticam expeditionem incohavit et complures annos regulariter continuavit.

Propter Hugonis Eckener res feliciter gestas, Angli, qui iam multos annos aerostata non curabant, anno 1929 statuerunt rem iterum experiri. Tunc vigebat in Anglia regimen socialisticum, quare statutum est duas

aerinaves exstruere, unam in fabrica nationalizata, quæ gentibus esset exemplo, alteram in fabrica capitalistica. Hæc, R 100 signata, exeunte anno 1929 iam perfecta, anno 1930 primum volatum ad Canadam fecit cum 44 vectoribus.


Altera aerinavis, R 101 signata, quæ in ingenti fabrica nationalizata exstribatur, lentius nascebatur nec sine inexpectatis difficultatibus. Apparuit enim aerinavem nimis gravem fore, quare oportuit eam per medium secare ad segmentum interponendum, quo vis ascensiva augeretur ; unde factum est ut dimidio plus constaret quam R 100.

Dum opera morantur, administer rerum aeriarum, Lord Thomson of Cardington, qui Indiarum vicerex nominari cupiebat, putabat suo ambitui prodesse iter ad Indias aerinave factum. Res urgebat ; itaque Lord Thomson non timuit aerinavem imperfectam et nondum exercitam concordare atque iussit Indias statim petere. Tam onerata vero erat R 101, ut extollvi vix posset. Tempestas insuper erat pessima : vehementer flabat contrarius ventus et pluebat ; horum tamen incommodorum incuriosi erant nautæ atque viatores spatiæ navicellæ lautiis tranquille fruebantur.

Nonnullis horis post discessum, media nocte, dum Francogalliam supervolat, aerinavis se in aere sustentare iam non potuit ; Bellovacos (v. Beauvais) supervolavit ita tecta radens ut incolæ timerent ne hac ingenti mole contererentur. Aerinavis tamen nullum tectum tetigit, sed paulo longius silvestrem collem percussit. Huius cladis testis e propinquuo fuit quidam vir laqueos clanculum ponens. Qui, statim post impactionem, vehementi displosione prostratus est ; paulo post ortæ sunt ingentes flammæ ; duæ vehementiores displosiones secutæ sunt, quibus vitra in Bellovacorum oppido fracta sunt. Octo tantum fuerunt superstites ; Lord Thomson of Carrington non Indias petivit sed statim inferos... Post hanc catastropham Angli statuerunt aerostatis iam non uti atque R 100 etiam deleverunt.

In America viceadmiralis Moffett pergebat militari aerostatorum usui credere. Idem regimini valuit suadere ut pecuniam præberet, qua duæ aerinaves exstribentur. Inter bellum mundanum demonstratum erat zeppelinia se ab aeroplanis defendere non posse ; quare Americani novas aerinaves fecerunt aeroplanigeras ; ex terra aeroplana armata continebant, quæ non solum inde avolare poterant, sed etiam recipi ; aeroplana enim uncum habebant, quo se, dum volant, aerinavi suspendebant et in eam recondebantur.

Earum prima, ZMC-2, « Metalclad » vocata, helio inflata est atque anno 1929 volare incepit ; duodecim annos munere suo speculatorio feliciter functa est.



Anno 1929 « *Graf Zeppelin* » in fine circumnavigationis supervolat Franciscopolin.

Altera, ZRS-4, « *Akron* » vocata, baptizata est anno 1931. Longa erat 236 metra, capax 195.000 metrorum cubicorum, volabat velocitate 130 chilometrorum horalium. Neque tamen ZRS-4 neque ZRS-5, anno 1933 perfecta et « *Macon* » vocata, fidæ videbantur ducibus bellicæ classis Americanæ. Brevi demonstratum est eos recte iudicasse ; aerinavis enim « *Akron* » anno 1933 procella deleta est atque idem anno 1935 alteri accidit, « *Macon* » vocatæ.

Apud Germanos aerinavis « *Graf Zeppelin* » pergebat commerciales volatus statu tempore facere inter Germaniam et Brasiliam. Cum res feliciter se haberent, Hugo Eckener, iam longa experientia societatis Zeppelin nitens, anno 1931 maiorem et commodiorem aerinavem exstruere incepit, LZ-129 notata. Eius tamen constructio lentissime progrediebatur propter Germaniae malum statum œconomicum et politicum. Res mutatae sunt ab anno 1933, cum Hitler rei publicæ habenis potitus est. Qui putans Hugonis Eckener aerinaves optima præconia sui regiminis fore pecuniam largitus est.

Sic factum est ut anno 1936 nova aerinavis perficeretur ; quæ « *Hindenburg* » vocata est in honorem præsidis rei publicæ Germanicæ. Hæc erat maxima omnium aerinavium umquam exstructarum ; eius longitudo 245 metrorum fere eadem erat ac maximæ huius

temporis navis, « *Queen Mary* » vocatæ. Habebat latitudinem 41 metrorum et capacitatem 200.000 cuborum metrorum, scilicet duplo maiorem quam « *Graf Zeppelin* ». Tam lata erat navis, ut viatorum navicella iam non carinæ supponeretur, sed in ipsa ima carina instrueretur. Sola gubernatorum navicella suspendebatur ut optimus visus circa præberetur.

Pars aerinavis viatoribus destinata, re vera, navicella vocari iam non poterat ; ingens enim erat atque e duobus tabulatis constabat. In medio superioris latiorisque tabulati instructa erant 25 conclavea duorum lectorum et privatis commoditatibus prædicta. In utroque latere, inter conclaveum ordinem et specularia, erat magnum spatiū, alterum ad quiescendum et legendum aptum, alterum ad cibos sumendos ; per specularia licebat ad terram vel mare spectare. Maior pars inferioris tabulati culinæ et ministris, qui 50 circiter erant numero, tribuebatur ; ibi etiam erat locus stricte clausus in quo solo fumificare licebat propter incendiī periculum. Aerinavis Hindenburg quattuor Dieselianis motris Daimler-Benz celeritate 134 chilometrorum horalium propellebatur ; uno tenore 18.000 chiliometrorum emeriti valebat.

Hugo Eckener novo regimini nazistarum erat adversarius ; solum propter suam famam internationalem in campum concentrationis non est coniectus. Regimen vero societate Zeppeliniana potum est eamque inclusit in maiorem societatem, cui nomen datum est « *Deutsch Zeppelin Reederei* » ; tunc aerinavis « *Hindenburg* » gubernacula verticalia ornata sunt « svastika », i.e. cruce hamata, nazismi insigne.


Die 31 m. Martii a. 1936, aerinavis « *Hindenburg* » primum volatum commercialem init, quo Flumen Ianuarii (v. Rio de Janeiro) petendum erat. Paulo ante, Hugo Eckener Domum Albam adierat, ubi a Præside Roosevelt petivit atque obtinuit licentiam appellendi ad stationem Lakehurst, non nimis longe a Neoeboraco sitam. Helium etiam petivit, sed leges Americanæ omnino vetabant ne exportaretur. Quare hydrogenium mansit talus Achillis aerinavis « *Hindenburg* ».

Ab anno 1936 statis temporibus facti sunt volatus ex Germania in Americam et vice versa. Tempus volatus ex oriente in occidentem erat circiter 65 horarum et ex occidente in orientem 52 horarum. Nullus tunc inter Europam et Americam vehendi modus celerior et commodiior erat. Res societatis « *Zeppelin Reederei* » tam bene se habebant, ut Eckener meditaretur duas alias aerinaves construere, alteram 100 viatorum capacem, alteram 150 ; in animo etiam habebat volatum commerciale ad orientem, usque Indonesiam, instituere. In annum 1937 prænuntiabantur 20 itinera aeri-

navis « Graf Zeppelin » ad Americam Meridionalem et 18 itinera aerinavis « Hindenburg » ad Americam Septentrionalem.

Die 3 m. Maii, vespere, aerinavis « Hindenburg » in aeroporto internationali Rhein-Main viatores exspectat. Propter destructionis minas recenter acceptas, agentes securitatis aerinavem diligenter exploraverunt itemque viatorum sarcinas. Hora vicesima et quadrante aerinavis a malo soluta se lente silentioseque tollit et mox, accensis motris, ad septentrionem versus propellitur... Navigatio est pessima propter vehementes contrariosque ventos ; navarchus fulgurantes nubes circuire cogitur, ita ut ad stationem Lakehurst demum perveniat cum mora duodecim horarum. Ibi etiam tempestas pessima est nec sine magnis difficultatibus navarchus navem valet appellere atque ad malum alligare.

Hora 19 minuta 25 quattuor nautæ, qui de inferiore gubernaculo funes ad solum missuri sunt, in proxima gasali cella subito oriri vident lumen rubrum colore flavo et cœruleo mixtum ; statim post cella displodit et quattuor nautæ, flammis circumdati, in solum salvi deiiciuntur. Tota carina brevi incensa est, viatores vero, cum sint infra, vix quicquam percipiunt antequam



Praeconium lineæ aeriae inter Germaniam et Americam Meridionalem

longæ flammæ in ocos irruant. Subito terrore correpti, clamantes discurrunt, atque omni modo aufugere conantur, dum cadit pluvia aluminii fusi ; quædam mulier liberos suos per fenestram proicit... In gubernatoris navicella nemo intellegit quid acciderit, antequam aerinavis incipit inclinari ; puppis in solum se impingit, prora erigitur, hoc triginta duobus tantum secundis post primam scintillam...

Mirandum est quod 62 homines servari potuerunt, inter quos navarchus ; 36 perierunt, e quibus 13 viatores. Postea multum disputatum est de causa catastrophæ ; fuitne effectus cuiusdam malevolentiae, ut prænuntiatum erat, an casus fortuitus ? Inquisitores concluserunt ignem fatuum fuisse causam.

Hic nondum fuit finis aerinavum ; nam LZ-130, eiusdem magnitudinis ac « Hindenburg », pæne perfecta erat. Eckener nunc pro certo habebat nullum viatorem aerinave velle, nisi helio inflata. Iterum helium petivit ab Americanis, qui, recenti catastrophæ valde commoti, in eo erant ut assentirent. Sed, mense Martio anni 1938, cum Hitleri exercitus Austriae invasisset, regimen Americanum recusavit – merito. Nam, cum mense Septembri zeppelinum LZ-130, « Graf Zeppelin II » vocatum, perfectum esset, exercitus id sibi statim tribuit adhibuitque ad litora Magnæ Britanniæ et fines Tsechoslovaciæ, Poloniæ Hollandiæque speculandos.

In ipso tamen bello zeppelinia nullum iam usum habebant ; duo, quæ supererant, destructa sunt eorumque materia ad alium usum destinata. Hic fuit finis miræ historiæ, quadraginta annos longæ, aerinavum aere leviorum. Post bellum incohatum est tempus aerinavum aere graviorum... ■

ITER TVRCICVM (III)

- narrat Francisa Deraedt -

Ephesus, postquam Romanis dominantibus caput factum est Asiæ provinciæ, tamen non maiorem habuit pacem. Sævabant enim bella, quibus Roma opponebatur Mithridati. Mithridates, rex Ponti, Romanis inter omnes fuit hostis maxime terribilis et indefatigabilis. Et indole crudelis : nonne, ut solus regnaret, matrem in vincula coniecit, fratrem trucidavit, sororem duxit uxorem ? Idem anno 88 urbem Ephesum occupavit, unde cunctos cives Romanos in Asia versantes iussit interfici ; qua cæde centum fere milia hominum vitam amiserunt. Mox autem, bellum semper renovans, Mithridates tandem cessit, primum Syllæ, postea Lucullo, denique Pompeio. In Chersonesum Tauricam profugus, a suis derelictus, captivitati prætulit mortem ; at antidotorum crebro usu cum obduruisset ad venena, aliquem servum coactus est rogare, ut se pugione conficeret.

Ephesus in pacem et prosperitatem interea restituta maxime floruit Augusto imperante. Magnificis ædificiis iterum ornata est, theatro, odeo, palæstris, bibliothecis, templis, quæ omnia nostris oculis adhuc offeruntur.

Nec potest lustrator non mirari : tam pulchra sunt illa, tam splendida ! In odeo homines assident ad mystagogi explicationes attenti ; hi mihi videntur esse cives Ephesii proximum spectaculum tranquille exspectantes. Viam sequimur, iuxta quam sepulcris succedunt templa, nymphæa, thermæ... ah ! in thermis videtur esse aliquid visu dignum. Nam ibi est magna turba et instrumenta photographica operantur acriter. Appropinquamus : sunt latrinæ, eademque adhuc integræ ; in eis Iapones periegetæ hilariter collocati gaudent de historica imagine, quam domum sunt reportaturi. O tempora.

Sed ecce ædificium omnium magnificentissimum :



Frons superior bibliothecæ a Celsio nominatæ

bibliothecam dico a Celsio nominatam, cuius altam et ornatissimam frontem archæologi nuper eximie refecerunt. Eam secundo p.C.n. sæculo exstruendam curavit Tiberius Iulius Aquila, in honorem Celsii Polemæni patris, qui Asiæ provinciæ præfuerat et cuius sarcophagus conditus est pone ipsum oecum librarium. Pretiosa volumina, ab humore duplice muro custodita, tutabatur dea Athena. Foris autem in ædiculis sunt statuæ Sapientiæ, Fortunæ, Scientiæ et Virtutis.


Aream archæologicam relinquentes transimus iuxta reliquias « ecclesiæ duplicitis », quæ vocatur, quamquam tres videntur ibi fuisse, quarum in prima, Sanctæ Mariæ dicata, annis 431 et 449 acta sunt illa concilia a Theodosio convocata, alterum ad Nestorianam hæresin damnandam dogmaque Maternitatis divinæ probandum, alterum, « latrocinium Ephesum » vocatum et ab Ecclesia reiectum, ad monophysitæ Eutychis defendendam doctrinam. Nam nomen Ephesi arte coniunctum est cum primis chistianismi temporibus. Paulus Tarsensis ibi compluries prædicatus est et annis 55-58 versatus est. At, cum eius prædications nocere putarentur sacerdotibus, qui Artemidis religione lucrum faciebant, Paulus inde expulsus in Macedoniam se contulit. Dicitur etiam apostolus Iohannes Ephesi anno 95 vixisse ibique euangelium suum scripsisse. Et fama fert matrem Iesu haud procul habitavisse usque dum in cælum elata est ab angelis. Adhuc ostenditur quædam « Domus Sanctissimæ Virginis », a Germanis multum culta, cum eorum concivis Catharina Emmerich (1774-1824) hanc domunculam in ecstasi descripserit tamquam Virginis domicilium.



Ephesus : theatrum

Basilicam Sancti Iohannis visuri, quæ septem fere chiliometris inde abest, eximus ex urbe antiqua. In area stativa proponitur sucus e fructibus ex tempore extractus, iucunde gelidus ; arancinum emo, Gaius experitur granaticium, qui perbene sapit. Sic refecti pergimus.

Sancti Iohannis basilica sexto sæculo, imperante Iustiniano, exstructa est eo loco, ubi erat apostoli sepulcrum. Ædificium, in meschitam anno 1330 transformatum, postea et terræ motu et (a. 1402) incursionibus Tamerlani est valde læsum. Habet tamen hic locus aliquid sollemnitatis. Iterum erectæ sunt nonnullæ columnæ et reposita capitula. Quamvis Turcia sit regio mahumetana, nemo impedit quin fideles illuc agant sacras peregrinationes.



Sepulcrum Sancti Iohannis

Secunda diei lustratio pertinet ad Miletum. At postquam locum præstantem vidimus, ut est Ephesus, Miletus – utinam ne magnus Thales verba mea audiat ! – Miletus videtur satis miserabilis. Itinere centum fere chiliometrorum ad meridiem versus facto inter agros gossypii, pervenimus ad urbem remotam, per pulchro quidem theatro ornatam, sed præterea satis derelictam. Theatrum imprimis admiramus, bene servatum cum scena et postscenio, capax viginti quinque milium spectatorum, adhuc multis scalis, andronibus, ambulacris præditum, plenum vendoribus photochartulas vendere frustra conantibus.

Ambulamus inter rudera, inter vestigia bulleuterii, thermarum, palæstræ, templorum vix agnoscibilium, de tempore cogitantes quo Miletus, ad ostium Mæandri sita, florebat, textilibus lanaque clarissima – Milesia enim lana antiquitus habebatur pro totius orbis terrarum optima.

Interea dies paulatim vergit ad finem : de redditu

est cogitandum. Agros gossypii iterum præterimus, in quibus a primo mane usque ad vesperam laborant mulieres miseræ, totum diem pronæ ad terram. Photographema furtim facio, timens ne tali curiositate offendantur. Sed eæ me iam viderunt et salutant ridentes. Viri candidos globulos in ingentes saccos imponunt, in rædas coniunct, ad officinam portant. Vespere mulieres iuxta viam congregatæ viros exspectant, qui eas domum vecturi sunt eisdem rædis ligneis.

In deversorium reversi curatorem convenimus, cuius est seminaria componere ; qui nobis pulchros cœcos institutorios ostendit proponitque bonas condiciones. Nisi tanta esset turba balneantium, locus ad symposium instituendum optime conveniret.

Posterus autem dies futurus est satis arduus : nam, vico Kusadasi relicto, longum iter nobis est usque Constantinopolin ementiendum, ubi autocinetum hora octava vespertina locatori erit reddendum. Atque interea Pergamum tandem aliquando lustrandum ! Nolumus autem ientaculum, cum sit tam bonum, prætermittere. Itaque hora demum octava et quadrante, stomacho saburrato, parati cibo abstinere usque ad cenam, proficiscimur. Feliciter est Dominicus dies, viæ sunt liberæ et Smyrnæ transitus, quem experti timuimus, patet facilis. Iter ad septentriones pergimus. Circa meridiem, paulo plus ducentis emensis chiliometris, e longinquo conspicitur Pergami praestans acropolis... ☐

(continuabitur)



Mulieres in agris gossypii laborantes

DE NOVIS LIBRIS

Emiel Eyben – Christian Laes – Toon Van Houdt, *Amor-Roma [:] Liefde en erotiek in Rome [= de amore moribusque venereis Romanorum]*, Leuven, Davidsfonds, [2003], 279+(1) pp. ill. – ISBN 90-5826-203-0. Qui liber Nederlandice est conscriptus, pluribusque imaginibus exornatus.

Est hoc in mortalium natura positum, ea quæ hominis sunt neque ullo homini aliena, cupide perquirere velle curioseque investigare. Quid autem humanius, quid vulgatius, quid magis consentaneum magisve proprium et antiquos amasse et odisse, turbidas esse personas animi procellas, effrenis modo succubuisse amoris sagittis, modo sapientius conatos maiora cecinisse ?

Sed unum esse bellorum et consulum enarrare fata, leges exscribere, parietinas erudere, aliud prorsus quæ ad intimos animi motus spectant et mores et mentis formas ex lapidibus emortuis eruere, ex rhetorum scriptis et vatum flosculis enucleare, tresviro huius libri minime fugit auctores¹. Non enim sibi soli scripsit rhetor, cecinit poeta, sculpsit lapicida : non informis est antiquorum ætas, neque exile, quod ævo nostro miserrime inhæsit, eorum est dicendi genus, neque cuiilibet nuda iacent animorum intima, neque sine ambagium anfractu perspicua venustas, noti lepores, patefactæ veneres, neque simplex est et ieonus cordium sermo. Quæ quum sint ita, quis rerum scriptor, quis litterarum studiosus parentum dolores, nutricum curas, amasiorum dolos, paedagogorum iras, viduarum ærumnas plane se comperisse, quis ex priscæ memoriarum latebris omnia se eruisse arcana, ipsam quoque Romanorum animam quis in apricum sese protulisse contendet ?

Arduum igitur officium huic erat libro propo- situm : quod tamen lepide venuste docte est absolu- tum. Lepide quod iuvat argumentorum disponendorum ratio neque plerumque displicet dicendi genus, venuste quod nitide est et pulchre typis liber excusus, docte quod magnam fontium et maxime variam complectitur copiam².

Qui liber in tres est partes divisus : primam, quæ parentes tractat et liberos, a Christiano Laes compo- sitam³ ; secundam, quæ in amores incumbit et mores venereo, ab Antonio van Houdt tractatam⁴ ; tertiam autem a tribus libri auctoribus curatam, quæ de matri- monio agit⁵. Singulæ partes docta insigniuntur argu- menti enarratione, quam sequuntur ex scriptoribus et lapidibus et papyris testimonia selecta, Batavorum similiter sermone redditæ⁶. Scriptores maxime sunt variii, neque eiusdem notæ neque ætate æquales ; Græci sunt⁷ et Latini, Christiani atque ethnici, urbani

rusticique, noti et ignoti. Plus quam sex hic liber complectitur et peragrat sæcula : a primo quod Christum natum proxime antecedit ad sextum fere post Christum natum ævum. Patet tamen, quatenus ex fontibus allatis eruere liceat, præter Christianum nomen paulatim inductum, continua quædam sibique constans mentium forma ; neque omnino a veteribus moribus abhorrire videtur ipsa Christiana religio, quippe quæ, dum imperium reddit Christianum, ipsam sibi adsumpserit Romanitatem⁸.

Accedunt adnotationes, commentariorum doctorum indices, fontium indicia.⁹

Wolfgangus JENNIGES Lovaniensis



1. Illa præcipue sunt referenda quæ apte monuit Christianus Laes, pp. 26-27.

2. Neque unius diei labore fuisse vel celerrime perlegenti patet ; inde quoque colligitur quod varios per annos haec sunt argumenta in Academia Lovaniensi cum studiosis tractata (cf. pp. 11-12).

3. pp. 15-49 ; sequuntur 45 testimonia, pp. 51-95.

4. pp. 99-134 ; sequuntur 27 testimonia, pp. 135-174.

5. pp. 177-203 ; sequuntur 38 testimonia, pp. 205-253.

6. Quas versiones plerumque curavit Æmilius Eyben, præter illas quæ alio sunt interpres nomine insignitæ vel p. 279 separatim enumeratae. Nusquam autem subiunguntur ipsa scriptorum verba Latina vel Græca, quod cum doleam, non omnino a ratione abhorret, cum liber non sit nobis philologis tantum, sed omnibus lectoribus absque discrimine destinatus. Desideratur tamen nonnumquam, si quid carpere licet, ipsorum fontium - editionum dico - accuratior indicatio ; quod cum notiores referuntur scriptores damno non est : quis enim nescit ubi Senecam querat moralem, vel Augustinum, vel Ovidium, vel Plutarchum, vel Chrysostomum ? notiores enim sunt, neque desunt inquirentibus Latinæ et Græcae editiones. Si quis autem, puta, Sorani Ephesii Gynaeciorum libros IV Græce perquirere cupit (cf. e.g. testimonium 6, p. 59), nullus ei (nisi me fugit) indicatur editionis fons.

7. Græcos cum dicimus, senioris esse intellege plerumque ætatis, Romani videlicet Imperii, non raro Christianos.

8. Cf. p. 203 et passim.

9. pp. 254-279.

In hoc fasciculo !

Quid velet velum [G. Licoppe] p. 1

Quid senserit præpositus rebus Arabicis gerendis [A. Boudot-Lamotte] p. 3

Cambosia (VI) [A. Vanautgaerden] p. 6

Flosculi Erasmi (III) [A. Vanautgaerden] p. 8

De miro per aera vebendi modo (V) [G. Licoppe] p. 10

Iter Turcicum (III) [F. Deraedt] p. 14

Bibliotheca Latina [V. Jenniges] p. 16

LATINE LOQVI...

SYMPOSIVM LATINVM

instituet Fundatio Melissa

d. 18-25 m. Iulii a. 2004

in oppido Rocamadour loco amoenissimo in
Francogallia

Hoc symposio, quod volumus esse iucundum sodalium concilium, participibus dabitur occasio de variis argumentis disputandi, quæ Latinistis cordi esse solent. Eis autem, quibus loquela Latina nondum est consueta, exercitationes Latine loquendi proponentur.

Pretium

- inscriptionis :
 - adultis : 50 EUR.
 - discipulis et studentibus : 25 EUR.
- pernoctationis :
 - cum ientaculo et cena (prandium tum est liberum) :
 - in conclavi unius lecti : 35 EUR.
 - in conclavi duorum lectorum : 31,50 EUR.
 - cum ientaculo, prandio et cena :
 - in conclavi unius lecti : 47 EUR.
 - in conclavi duorum lectorum : 43,50 EUR.

*Conclavia sunt privatis commoditatibus instructa.
Accessus facilis et autocineto et tramine ferrivario.*

Qui participare cupiunt sine mora certiorem faciant

Gaium Licoppe
avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles
tel. +32 475 47 55 18
telecop. +32 2 735 51 32
g.lkoppe@skynet.be
<http://users.skynet.be/Melissalatina>



CONVENTICVLVM LEXINTONIANVM

Lexintoniæ in America, a mensis Augusti die 2 usque ad 11. ¶ Prof. Terentius Tunberg : clatot@pop.uky.edu

CONVENTICVLVM RVSTICVM

A mensis Iunii die 19 usque ad 27 fiet in Vasintonia civitate. ¶ <http://ttt.boreoccidentales.org/deconventiculis.php>

FERIÆ LATINÆ

In abbatia Sancti Michælis Ferigoletensis, a die 28 m. Iulii ad diem 4 m. Augusti. ¶ Iohannes Claudius Champeau, 121, chemin des Moulins supérieur, F-06510 Gattières

FERIÆ LATINÆ TINIENSES

In Carinthia, a die 26 ad diem 30 m. Iulii ¶ Katholisches Bildungsheim Sodalitas, A-9121 Tainach/Tinje 119

SEMINARIVM HISPANICVM

Prope Segoviam a die 23 m. Iulii in diem 1 m. Augusti ¶ <http://www.tekhnai.es/alf>

SEMINARIVM L.V.P.A.e

Singiduni in Serbia a die 6 in diem 16 m. Augusti ¶ Inga Pessara, Nordstrasse, 39, D-59174 Kamen (ipg@surfeu.de)

SEMINARIA SOCIETATIS LATINÆ

¶ Morsaci in Helvetia : 25-31 m. Iulii. ¶ in Belgica in abbatia Maretoliensi : 8-14 m. Augusti. ¶ Societas Latina, Universität, FR 5.2, D-66041 Saarbrücken (s.albert@mx.uni-saarland.de)

SEPTIMANA AMCENEVRGENSIS

« Latine loqui - Romane coquere » – a die 1 ad diem 7 m. Augusti. ¶ Thomas Gölzhäuser, Westerwaldstrasse, 13a, D-35630 Ehringshausen (goelzhaeuserpost@hotmail.com)